

missio inadæquate sumpta, scilicet pro sola productione effectus in quo manifestatur missio, attribui ipsimet Personæ missæ, ita quod dicatur mittere seipsam, id est, producere effectum in quo ipsa missio, seu communicatio Personæ manifestetur, quo sensu id admittit S. Thomas in primo ad Annibaldum, dist. xx, quæstione unica, art. iv. Quare potest multo melius Persona dare seipsam, etiam si non procedat ab alia, sicut Pater liberaliter se communicat creaturæ ut fruatur se, sicut docet D. Thomas hic articulo quarto ad primum.

Secunda pars probatur, quia Christus, ut homo subjectus est Patri, et inferior, et minor Patri, et minister ejus, juxta illud Rom. xv : *Dico enim Christum Jesum ministrum fuisse circumcisionis*. Ergo potest mitti ut minister per præceptum, et imperium, et sic a tota Trinitate mittitur, quia tota Trinitas ei imperat, unde etiam secundum quod homo mitti dicitur a Spiritu sancto a quo æternaliter non procedit juxta illud Isai. XLVIII : *Nunc autem misit me Dominus Deus, et Spiritus ejus*, quod de Christo quoad humanam naturam intelligit D. Thomas hic articulo novo, licet etiam intelligi aliquo modo possit quod Persona Filii mittitur a Spiritu sancto ut fiat homo, sicut et a se scilicet relatione effectus connotati, qui a tota Trinitate factus est, id est, ipsius incarnationis, ut S. Thomas ibi docet, et in I, dist. xv, quæst. III, art. II, quæ est missio sumpta pro eo quod secundarium et connotatum est in ea.

XII. Colligitur tertio quomodo missio dicatur et pro quo supponat an pro aliquo notionali, vel essentiali, de hoc autem enim D. Thomas in sententiariis loco supra citato circa dist. xv sentire videtur quod de principali non significat

aliquid notionale, id est, ipsam processionem originis, qua una Persona procedit ab alia, sed aliquid essenziale, scilicet productionem effectus, in quo manifestatur, processionem autem notionalem significare ex consequenti. Sed tamen in hac quæstione articulo primo simpliciter fatetur D. Thomas missionem importare originem a mittente; salvat tamen articulo octavo opinionem quæ dicit Personam mitti etiam ab ea, a qua non procedit, et consequenter non requirere seu explicare rationem originis, quatenus missio sumi potest inadæquate pro effectus productione, ad quem terminatur missio ut ad manifestativum Personæ. Et Cajetanus dixit ibi quod D. Thomas salvat hanc opinionem considerando missionem, non secundum primariam rationem seu intentionem, sed juxta secundariam quæ explicat id quod de connotato significat missio ex parte termini. Et sic D. Thomas explicavit in hoc, quo sensu illam opinionem secutus fuerit in sententiariis, quam etiam salvat hic, nempe loquendo de missione ex parte termini connotati, a quo sumit processio æterna denominationem missionis temporalis, ut jam supra explicavimus. Et in eodem sensu secutus est in sententiariis quod Persona aliqua mittit se sumendo missionem pro effectu connotato producto, et ad missionem requisito.

ARTICULUS II.

Quos effectus connotet missio, et quomodo dividatur in visibilem, et invisibilem?

I. Supponendum est tamquam certum quod missio Personarum non connotat solum effectum ordi-

nis naturalis, et qui pertinet ad beneficium, et donum creationis.

Ratio hujus est, quia per creationem, et naturalium donorum largitionem manifestatur Deus in quantum unus, scilicet, ejus bonitas, et sapientia, quia omnia opera ad extra procedunt a tota Trinitate per unam virtutem, et secundum eandem efficientiam qua accipiunt esse a Deo, non vero manifestant ipsam Trinitatem Personarum. Ergo secundum talem processionem, Personæ non dicuntur mitti. Patet consequentia, quia missio Personarum ordinatur ad hoc, ut Personæ novo, et Peculiari modo sint in creaturis, quo ante non erant. Hic autem novus modus non consistit in hoc quod Personæ solum producant, et dent esse ad extra efficienter quodcumque illud sit: nam totum hoc pertinet ad existentiam earum in creaturis, ut sunt unum per immensitatem, et operationem, qua cuicumque rei intime assistit divinitas, et Personæ, prout sunt unum in divinitate dando illi esse. Et quia hoc fit per unam virtutem, et operationem, et unicum attributum immensitatis, non per hoc Personæ existunt in creaturis ut distinctæ, nec speciali modo quatenus plures, et distinctæ sunt, nec ut manifestatæ creaturis.

Quare ut optime S. Thomas advertit in I, dist. xv, qu. iv, art. I, processio divinæ Personæ, quæ dicitur missio, non attenditur in exitu rerum a suo principio, in quantum repræsentatur per similitudinem bonitas divina in creatura; sed in reductione rationalis creaturæ in Deum intelligitur processio divinæ Personæ, quæ est missio, præsertim missio invisibilis in quantum propria relatio ipsius Personæ divinæ repræsentatur in anima per lumen aliquod receptum, quod est exemplatum, et originatum ab ipsa Tri-

nitatem ad manifestandum se. Itaque effectus quem connotat missio Personæ, et quem requirit ut in creaturam Persona divina mittatur, non est considerandus præcise, secundum esse in quo effective procedit a Deo, et secundum respectum ad Deum, ut ad causam efficientem: sic enim sub hoc respectu non est necessaria missio Personæ, sed operationis efficientia: omnis autem operatio effectiva ad extra procedit ab omnipotentia Dei, et ab essentiali ejus virtute ut una, non autem secundum distinctionem, et originem Personarum secundum quod una est ab alia notionaliter: hoc enim ad efficientiam, et ad omnipotentiam non spectat, solum autem per omnipotentiam egreditur efficientia, et operatio. Sed oportet considerare effectum, qui respiciat Deum ut finem fruendum; et sic regrediatur ad ipsum in se, et in tali regressu ad Deum potius quam in egressu creaturæ, vel gratiæ a Deo attenditur communicatio, et manifestatio Personæ ipsi creaturæ rationali facta, et hæc est missio, quia in hoc est processio Personæ ut manifestata: nec enim manifestatur Persona nisi ut communicata, et fruenda; et sic gratia etiam ut habens esse a Deo, et effective manans ab ipso, non aliam communicationem, et manifestationem, seu modum existendi ipsius Dei petit, quam qui communis est omnibus creaturis, quatenus Deus est in ipsamet gratia tamquam in re effecta a se, et cui præbet esse per operationem suam. Sed quatenus per gratiam convertimur ad Deum ut ad finem a nobis fruendum, sic respicit illum ut finem sibi communicatum, ut est in se, et Deus est in anima speciali modo, scilicet ut causa finalis fruenda, non solum ut efficiens, et dans esse. Et hoc modo procedunt Personæ usque ad creaturas, quate-

nus eis manifestantur processiones illæ, et distinctio Personarum, quæ sine processioibus non est. Quomodo vero in missione visibili Personarum inveniatur ista conversio creaturæ rationalis ad Personas, statim explicabitur.

II. His suppositis, dicendum est primo: Missio ex parte effectuum temporalium, quos connotat, recte dividitur in missionem visibilem, et invisibilem. De utraque agit S. Thomas in hac quæstione et theologi communiter in I, dist. xv. Dicitur missio visibilis processio alicujus Personæ manifestantis se per effectus visibiles, sicut in incarnatione missus est Filius Dei, ut apparet in carne; et in missione Spiritus sanctus apparuit in specie columbæ super Christum, quando baptizatus est, et in specie ignis super Apostolos in die pentecostes. Missio invisibilis est processio Personæ ad sanctificandum creaturam rationalem per donum gratiæ invisibilis. Et mediante hoc dono gratiæ manifestatur ipsa Persona procedens, et communicatur ut fruenda, et possidenda ab anima hic in spe, in patria in re. Dari has duas missiones constat ex Scriptura. Nam de missione visibili per incarnationem constat ex supra dictis, ut cum dicitur Joan. x: *Quem Pater sanctificavit, et misit in mundum*: Galat. iv: *Quando venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum*. De missione autem Spiritus sancti Joan. xiv dicitur: *Quem mittet Pater in nomine meo*: et Joan. xv: *Cum venerit Paraclitus quem ego mittam vobis a Patre, etc.* De missione invisibili, quæ fit intus in corda dicitur Galat. iv: *Quoniam autem estis filii, misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra clamantem Abba Pater*. Et de ipsa genita sapientia dicitur Sapient. ix: *Mitte illam de cælis sanctis tuis, et a sede magnitudinis tuæ, ut mecum sit, et mecum la-*

boret; et, ut inquit Augustinus iv de Trinitate, cap. xx: «Tunc Filius invisibiliter mittitur, cum a quocumque cognoscitur atque percipitur.» Dicitur autem mitti ut laboret, inquit ibi Augustinus, id est: «Ut doceat me laborare, ne laborem: labores enim ejus, virtutes sunt.» De missione autem Spiritus sancti constat quod ad sanctificandum rationalem creaturam missus est, quatenus in illa missione induti sunt Apostoli virtute ex alto, sicut illis Dominus promisit Actor. I. Itaque ut Augustinus citato loco inquit: «Per missionem invisibilem gratiæ mittitur sapientia divina, ut sit cum homine, per visibilem incarnationis missionem missa est sapientia, ut ipsa esset homo.»

III. Dico secundo: Duæ istæ missiones, scilicet visibilis, et invisibilis in tribus conveniunt, et in aliis tribus differunt.

Conveniunt primo in hoc quod utraque ordinatur ad manifestationem Personæ divinæ missæ, et processiois ejus.

Secundo, quod utraque ordinatur ad communicationem specialem Personarum divinarum in creatura ad quam mittitur.

Tertio, quod utraque ordinatur ad sanctificationem creaturæ rationalis, per quam convertitur in suum finem.

Differunt primo, quod missio visibilis fit in aliquo effectu sensibilibiter exhibente et repræsentante Personam, sive assumendo illam in unitatem Personæ substantialiter, ut in incarnatione, sive apparendo in illa, ut in signo talis Personæ, et sanctificationis quam facit, ut in Spiritu sancto. Missio autem invisibilis fit in aliquo effectu spirituali, et invisibili, quo elevatur creatura rationalis ad participationem ordinis divini, et ad cognoscendum, et fruendum Personis.

Secundo, quod per missionem visibilem Persona divina venit in hunc mundum, per invisibilem autem non venit in mundum, sed facit homines esse extra mundum, et et ad eternitatem transfert.

Tertio, quod in missione visibili mittitur una Persona, et manifestatur sine alia: in missione autem invisibili nunquam una sola Persona mittitur, sed duæ procedentes, et Pater licet non mittatur, quia mitti non potest, venit tamen, et communicat se cum aliis ipsi animæ.

IV. Prima pars hujus conclusionis de convenientiis utriusque missionis declaratur. Nam missio Personarum ideo specialiter convenit Personis, quia aliquid specialiter per hoc eis convenit ad extra, quod non per communem operationem divinitatis in creaturas: per efficientiam enim communem omnes Personæ operantur ut unum: et sic non potest ibi intelligi, quod una mittatur ab alia pro effectu illo faciendo. Debet ergo una mitti ab alia, quando in effectu aliquo manifestatur una Persona esse ab alia. Hoc autem manifestatur in missione visibili, quia in humanitate assumpta manifestata est Persona Filii, quæ sola incarnata est, ex consequenti autem manifestatus est Pater, cujus Filius est, et Spiritus sanctus, cujus virtute incarnatus est. In missione autem invisibili manifestantur Personæ, quia cognoscuntur, et possidentur ad fruitionem sui, hic Per fidem, postea per speciem. De secunda convenientia constat, quia in incarnatione communicata est Persona Filii humanæ naturæ, assumendo illam unitatem Personæ, et communicando illi suamet subsistentiam. In missione autem invisibili communicantur Personæ ut fruendæ, et possidendæ intus in corde, de quo sequenti articulo sicut dicitur Joan. iv: *Ad eum venie-*

mus, et mansionem apud eum faciemus: et I Petri I: *Magna, et pretiosa nobis promissa donavit, ut per hæc efficiamini divinæ consortes naturæ, quæ est maxima communicatio*. De tertia convenientia constat: nam missio visibilis Filii ordinata est ad redemptionem nostram, et sanctificationem juxta illud Galat. iv: *Misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub lege, ut eos qui sub lege erant redimeret*. Missio etiam visibilis Spiritus sancti ad sanctificandum Ecclesiam, et Apostolos ordinata est: nam, ut dicitur Act. II: *Apparuerunt illis dispersitæ linguæ tamquam ignis, seditque supra singulos eorum, et repleti sunt omnes Spiritu sancto, quæ utique repletio, sanctificatio fuit, promissa a Christo Actorum I: Donec induamini virtute ex alio*. Missio autem invisibilis tota est ad sanctificationem, quia solum est per gratiam sanctificantem, ut postea dicitur, et constat quia missio invisibilis divinæ sapientiæ dicitur esse ut nobiscum sit, et nobiscum laboret Sapient. ix. Et iterum de Spiritu sancto Rom. viii: *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis*: et iterum ad Galat. iv: *Quoniam estis filii misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra*. Unde recte dixit D. Thomas in hac quæstione, art. vii, quod Filius visibiliter missus est tamquam sanctificationis auctor, sed Spiritus sanctus tamquam sanctificationis indicium, quia videlicet apparuit in igne, et columba, ut ostenderet se sanctificare eos, ad quos mittebatur.

V. Secunda pars conclusionis etiam declaratur. Et quidem quoad primam differentiam satis manifesta est, cum in hoc differant missio visibilis, et invisibilis, quod effectus unius appareat extra, sicut Christus Dominus visus est in carne sensibilis, et Spiritus sanctus in specie co-

lumbæ, et ignis, quod totum oculis patuit, quamvis de illo igne an spiritu tantum visus sit, an etiam oculis carnis quæstionem esse posse Augustinus dicat II de Trinitate, c. VI. Sed ut ut est, corporalis manifestatio illa fuit, etiamsi in imaginatione fuit. Missio autem invisibilis per gratiam intus in corde fit, nec per externam perficitur apparentiam. Secunda differentia ponitur propter auctoritatem Augustini IV de Trinitate, c. XX, ubi inquit: « Cum in carne manifestatus est Filius Dei, in hunc mundum missus est in plenitudine temporis factus ex femina. Cum autem ex tempore cujusquam profectus mente percipitur, mitti quidem dicitur, sed non in hunc mundum: neque enim sensibilibus apparet, id est, corporeis sensibus præsto est. Quia et nos secundum quod mente aliquid æternum quantum possumus capimus, non in hoc mundo sumus. Et omnium justorum spiritus etiam adhuc in carne viventium in quantum divina sapiunt non sunt in hoc mundo. » Quem locum adducit magister in I, dist. XV, et optime id explicat S. Thomas ibidem qu. IV, art. III, non quod essentialiter, seu substantialiter anima ponatur extra mundum, cum in corpore sit quod informat, sed per conformationem est extra mundum, quia non conformatur affectus noster rebus mundanis, et caducis, sed juxta quod Apostolus dicit ad Philip. III: *Nostra conversatio in cælis est*. Sic ergo missio visibilis ad hoc ordinatur ut id quod divinum est in mundo sit juxta illud Joan. XVI: *Exivi a Patre, et veni in mundum*. Missio autem invisibilis ordinatur ad hoc ut noster affectus non sit de mundo, et tandem in plenitudine gloriæ etiam corporaliter sit supra mundum, juxta quod subdit Christus ibidem: *Iterum relinquo mundum, et vado ad Patrem*. Deni-

que, de tertia differentia constat, quod per missionem visibilem una Persona est missa sine alia quoad effectum visibilis manifestationis: solus enim Filius visibilis apparuit quando incarnatus est, et solus Spiritus sanctus in specie columbæ, et in igneis linguis apparuit, licet effectum ipsum incarnationis, et sanctificationis tota Trinitas operata sit. At vero in missione invisibili, quæ fit per gratiam sanctificantem non mittitur una Persona sine alia: tum quia in habentibus gratiam omnes Personæ simul inhabitant, non una sine alia, juxta illud Joan. XIV: *Si quis diligit me, diligetur a Patre meo, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus*; sed inter has Personas inhabitantes, duæ sunt Precedentes: ergo, et missæ in tali inhabitatione. Patet consequentia, quia Personæ quæ procedunt, et in aliquo speciali effectu manifestantur, hoc ipso dicuntur missæ; tum etiam quia in habentibus gratiam dona Spiritus sancti tam ad intellectum, quam ad voluntatem pertinentia connexa sunt: omnes enim qui sunt in gratia, habent omnia dona Spiritus sancti ut docet S. Thomas I-2, qu. LXVIII, art. II et V. Inter illa autem dona, quædam pertinent ad intellectum, ut donum intellectus, scientiæ, sapientiæ, consilii: alia ad voluntatem ut fortitudinis, pietatis, timoris. Et quoad prima attenditur missio Verbi, cujus processio est per intellectum; quoad secunda, missio Spiritus sancti qui procedit per amorem. Unde dicit D. Thomas in hac quæstione, art. V ad III, quod: « Communiant duæ missiones in radice gratiæ, sed distinguuntur in effectibus gratiæ, qui sunt illuminatio intellectus, et inflammatio affectus. » Et sic manifestum est quod una non potest esse sine alia, quia neutra est sine gratia gratum faciente, nec

una Persona separatur ab alia. Idem docet in I, dist. XV, qu. IV, art. II: Quia amor, inquit, semper sequitur notitiam perfectam, secundum quam est: et missio Filii semper inducit in amorem. » Et videndus est etiam in primo ad Annibaldum, dist. XV, quæstione unica, art. V.

VI. Nec obstat quod aliquando videntur ista dona separari, et consequenter missio Personarum, quæ secundum illa fit. Separantur quidem: nam dona pertinentia ad intellectum abundant in quibusdam, in quibus non est gratia, ut sunt omnes gratiæ gratis datæ, ut prophetia, sermo, scientiæ, interpretatio sermonum, loqui linguis, etc. quæ sunt gratiæ gratis datæ, nec per se requirunt gratiam sanctificantem. In aliis e converso abundat gratia sanctificans, et fervor spiritus, et tamen sunt hebetes, et idiotæ; et sic non resplendet in ipsis missio Filii, quæ fit secundum dona sapientiæ, et intellectus: ut enim dicit S. Thomas loco citato ad Annibaldum, in argumento: Sed contra, Filius præcipue mittitur, cum sapientia datur: ergo ubi non datur sapientia, non datur missio Filii. Nec videtur posse dari istas missiones pure concomitanter, sed eo ordine quo procedunt in divinis istæ Personæ, scilicet ut prius mittatur Filius, quam Spiritus sanctus cum quo non stat, quod primum donum sit ipse amor, et Spiritus sanctus ut dicit S. Thomas supra quæst. XXXVIII, art. I, si prius mittitur Filius, et consequenter datur.

VII. Respondetur negando primum antecedens. Et ad probationem, dico quod dona gratis data, quando sunt sine gratia sanctificante non sufficiunt ad missionem Personæ divinæ simpliciter loquendo, sed secundum quid, quia, ut docet S. Thomas in I, dist. XV, qu. IV, art. I ad III et art. II, missio Verbi fit ad

hoc ut Verbum possideatur, et habeatur ab homine, et in eo manifestetur. Verbum autem procedit ex cognitione ita perfecta, quod spirat amorem. Unde tunc perfecte habetur, et mittitur, cum manifestatur secundum cognitionem inductivam amoris, secundum quem amorem conjungitur homo ipsi amato, quod solum fit per gratiam sanctificantem. Unde sine tali dono, proprie non mittitur Filius. Videatur etiam 2-2, qu. VIII, art. V ad III, ubi docet, quod: « In prophetis, qui non sunt in gratia, non est illustratio mentis, quæ faciat rectam æstimationem de ultimo fine, » quod proprie pertinet ad dona Spiritus sancti in intellectu. Ad id vero quod dicitur de idiotis, et hebetibus, qui non videntur habere missionem Filii quæ fit secundum sapientiam, licet habeant gratiam, respondetur quod tales licet videantur idiotæ, et stulti quoad mundum, et quoad scientiam acquisitam, tamen habent scientiam sanctorum, et prudentiam dirigendam suam sine querela, et crimine, quod summæ prudentiæ, et magni consilii est, nec nisi a dono Spiritus sancti procedit. Unde dicit S. Thomas distinctione XV, citata qu. IV, art. II ad IV quod: « Illa notitia ex qua procedit amor, viget in ferventibus divino amore, quia scilicet cognoscunt divinam bonitatem in quantum est finis, et in quantum est in eos profluens largissime sua beneficia, et talem notitiam perfecte non habent, qui amore ipsius non accenduntur. » Videatur quoque S. Thomas 2-2, quæst. VIII, art. IV, ubi ostendit omnes qui sunt in gratia habere donum intellectus: licet enim patiantur hebetudinem circa aliqua quæ non sunt de necessitate salutis, tamen circa ea quæ sunt de necessitate salutis sufficienter instruuntur a Spiritu sancto secundum illud I Joannis II: *Unctio docet vos de omni*